



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Alexandro VII. Ad Clementem X.

**Luxemburgi, MDCCXLII.**

XIX. Indulgentia pro Ecclesiis Ordinis Excalceatorum Beatæ Mariæ de  
Monte Carmelo Fratrum, ac Monialium in die Commemorationis ejusdem  
Beatæ Mariæ Virginis, & Sanctorum Andreæ Corsini, Angeli ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74833)

Confirmatio  
ejusdem De-  
creti.

stræ patrocínio communiri summopere deside-  
rent.

§. 4. Nos specialem ipsis Exponentibus gra-  
tiam facere volentes, & eorum singulares per-  
sonas, à quibusvis excommunicationis, suspen-  
sionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sen-  
tentis, censuris, & pœnis à jure, vel ab ho-  
mine quavis occasione, vel causa latis, si qui-  
bus quomodolibet innodata existunt, ad effe-  
ctum præsentium dumtaxat consequendum ha-  
rum serie absolventes, & absolutas fore cen-  
sentes, Supplicationibus eorum nomine Nobis su-  
per hoc humiliter porrectis inclinati, præin-  
sertum memorati Francisci Episcopi Cardinalis, &  
Protectoris Decretum auctoritate Apostolica te-  
nere præsentium confirmamus, & approbamus,  
illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur  
adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti  
defectus si qui desuper quomodolibet interve-  
nerint, supplemus.

§. 5. Decernentes easdem præsentibus Litteras  
semper firmas, validas, & efficaces existere, &  
fore, suosque plenarios, & integros effectus  
fortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spe-  
ctat, & pro tempore spectabit inviolabiliter ob-  
servari. Sicque in præmissis per quoscumque Ju-  
dices ordinarios, & Delegatos, etiam causarum  
Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri  
debere, ac irritum, & inane si secus super his  
à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ig-  
noranter contigerit attentari.

Derogatio  
statutorum.

§. 6. Non obstantibus aliisque Constitutioni-  
bus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quate-  
nus opus sit, dicti Ordinis, etiam juramento,  
confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate  
alia roboratis statutis, & consuetudinibus, pri-  
vilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostoli-  
cis in contrarium præmissorum quomodolibet  
concessis, confirmatis, & innovatis.

§. 7. Quibus omnibus, & singulis illorum  
tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter  
expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo  
robore permanfuris, ad præmissorum effectum  
hac vice dumtaxat specialiter, & expressè dero-  
gamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub  
Annulo Piscatoris die 8. Julii 1672. Pontifica-  
tus Nostri Anno Tertio.

XIX.

Indulgentia pro Ecclesiis Ordinis Excalceatorum  
Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Fratrum,  
ac Monialium in die Commemorationis ejus-  
dem Beatæ Mariæ Virginis, & Sanctorum  
Andræ Corsini, Angeli Martyris, & Alber-  
ti Confessoris.

CLEMENS PAPA X.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Universis Christi fidelibus presentes Litteras  
inspecturis salutem, & Apostolicam  
benedictionem.*

Celestium munerum thesauros, quorum dis-  
pensationem humilitati Nostræ credidit di-  
vina dignatio, libenter erogamus, sicut ad fo-  
vendam, incitandamque fidelium erga Sanctos  
in cælis cum Christo regnantes devotionem sa-  
lubriter expedire in Domino arbitramur.

§. 1. Supplicationibus itaque Dilecti Filii mo-  
dèrni Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum  
Excalceatorum nuncupatorum Ordinis Beatæ Ma-  
riæ Virginis de Monte Carmelo nomine Nobis  
super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de  
Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum

Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate  
confissi.

§. 2. Omnibus, & singulis utriusque sexus  
Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis  
ac sacra communione refectis, qui aliquam ex  
Ecclesiis tam Fratrum, quàm Excalceatorum  
dicti Ordinis, quam Monialium Carmelitarum  
Excalceatorum hætenus Erectis, & in posterum  
quandocumque erigendis, ac ubicumque locor-  
um existentibus die 16. Julii, aut Dominica  
immediate sequenti, qua festum Commemora-  
tionis ejusdem Beatæ Mariæ Virginis de Monte  
Carmelo celebratur, ac in S. Andræ Corsi-  
ni Episcopi, & S. Angeli Martyris, ac Sancti  
Alberti Confessoris, qui religiosam vitam in Or-  
dine præfato professi fuerunt, festis diebus à  
primis Vesperis usque ad occasum solis dierum  
hujusmodi singulis annis devotè visitaverint, &  
ibi pro Christianorum Principum concordia,  
hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccle-  
siæ exaltatione, pias ad Deum preces effude-  
rint, plenariam omnium peccatorum suorum  
indulgentiam, & remissionem misericorditer in  
Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futu-  
ris temporibus valituris.

Pro Ecclesiis  
totius Ord.

Perpetuis fu-  
turis tempo-  
ribus.

§. 3. Volumus autem, ut præsentium Lite-  
rarum transumptis, seu exemplis, etiam im-  
pressis, manu alicujus Notarii publici subscrip-  
tis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica  
constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique  
adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur,  
si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub  
Annulo Piscatoris die 13. Julii 1672. Pontificatus  
Nostri Anno Tertio.

Translatio Indulgentiæ à secunda Dominica Octo-  
bris ad diem 2. ejusdem mensis pro die festo  
S. Angeli Custodis concessa Archiconfraterni-  
tati ejusdem Angeli Custodis in Urbe.

XX.

CLEMENS PAPA X.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Exponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii  
Officiales, & Confratres Archiconfraterni-  
tatis sub invocatione Sanctorum Angelorum  
Custodum de Urbe, quod inter cæteras Indul-  
gentias, & peccatorum remissiones, ac pœni-  
tentiæ relaxationes eidem Archiconfraterni-  
tati per Sedem Apostolicam concessas omni-  
bus, & singulis Confratribus, & Confratribus  
dictæ Archiconfraternitatis verè pœnitentibus,  
& confessis, ac Sacra Communione refectis,  
qui Ecclesiam, seu Oratorium dictæ Archicon-  
fraternitatis Dominica secunda mensis Octo-  
bris, à primis Vesperis usque ad occasum solis  
diei hujusmodi singulis annis devotè visitassent  
& ibi pro Christianorum Principum concor-  
dia, hæresum extirpatione, ac sanctæ Matris  
Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces ef-  
fudissent, plenaria omnium peccatorum suo-  
rum Indulgentia, & remissio misericorditer in  
Domino, auctoritate Apostolica concessa repe-  
ritur.

Narratio In-  
dulgentiæ.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio sub-  
jungebat dicti Exponentes Indulgentiam hujus-  
modi à dicta Dominica secunda Octobris ad diem  
secundam ejusdem mensis, quæ per Decretum  
Congregationis Venerabilium Fratrum Nostro-  
rum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præposi-  
torum à Nobis approbatum, pro festo eorum-  
dem Sanctorum Angelorum Custodum assi-

gnata